



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus II. De Feria 4ta Cinerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

rificatorio extergat, nec purificatorium imponat calici, sed patena, palla & velo coopertum, Subdiaconus deferat ad credentiam, vel relinquatur cum corporali extenso super altare prope tabellam secretarum, ne impediatur incensationem altaris faciendam in Laudibus, ibidemque decenter servatur usque ad 2dam & 3tiam Missam; purificatorium quoque relinquatur prope corporale.

2. Idem observetur in Missis privatis, & Sacerdos post Imam & 2dam Missam junctis manibus, calice relicto in altari revertatur ad Sacristiam. Advertat quoque Sacerdos, ne ad Offertorium infusus vinum calicem purificatorio extergat: Preces tamen quæ in purificatione calicis & digitorum ablutione dici solent, non omittuntur.

TITULUS II.

De Feria 4ta Cinerum.

Sacerdos indutus Pluviali violaceo vel sine Casula cum Ministris similiter, si est sine Dalmaticis si Sacerdos sit sine Pluviali, alioquin violaceis indutus procedit more consueto: Versicularii postquam ad altare pervenerint, mox sua candelabra super credentiam deponunt, ad benedicendum cineres, Diacono & Subdiacono, aliisque Ministris hinc inde lateraliter assistentibus.

Et primo à choro cantatur Antiphona EXAUDI NOS DOMINE, &c. quam Celebrans stans in cornu Epistolæ inter Diaconum & Subdiaconum submissâ voce legit, qua finita eodem modo stans, & non vertens se ad populum dicit DOMINUS VOBISCUM, &c. interim Thuriferarius tempestivè parat thuribulum & vas aquæ benedictæ, finita benedictione, Sacerdos retrahit se ad medium altaris, ibique facie versus populum medius inter Diaconum & Subdiaconum stabit: & dignior Sacerdos ex Clero accedens ad altare ascendens usque ad suppedaneum, imponit cinerem Celebranti non genuflexo sed ut prius stanti, & parum inclinanti. Cineres imponit in formam crucis, & dicit MEMENTO HOMO QUA pulvis

PULVIS Es, &c. *Si vero non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans genibus flexis coram altari sibi ipsi cineres imponit in capite nihil dicens.*

Celebrans acceptis per digniorem cineribus, mox ipse Diacono à dextris ejus vas cinerum tenente, eidem digniori, ad unum gradum retrogresso & in suppedaneo flectenti cineres imponit. *Deinde Ministris paratis genibus flexis coram altari dicens, &c.* Diaconus accepturus cineres vas tradit Ceroferario sibi proximiori, illudque acceptis cineribus mox recipit.

Postea veniunt alij, primo Clerus per ordinem deinde populus & genibus flexis ante altare & capite parum inclinato, singulatim recipiunt cineres. Celebrans tamen non debet omnibus de populo ante summum altare cineres distribuere, sed alius Sacerdos extra chorum sæcularibus distribuat. *Completa cinerum impositione Sacerdos, in cornu Epistolæ digitos abluat, deinde dicit DOMINUS VOBISCUM, &c.* postea vadit ad Sacristiam assumpturus casulam, Ministri verò dalmaticas deponunt & serviunt ut in diebus jejuniorum: vide dicta Part. 1. Tit. 19. n. 7.

In Missa canitur **TRACTUS** & ad integrum versum **ADJUVA** Nos, genuflectitur. Part. 1. Tit. 17. n. 1. & 3.

TITULUS III.

De Dominica Passionis et Palmarum.

IN Dominica que de Passione dicitur cooperiantur inquit Cærem. Episc. lib. 2. cap. 20. *antequam Officium inchoetur hoc est ante Vesperas in Sabbato, omnes cruces & imagines Salvatoris per Ecclesiam. Et super altare nulla ponantur imagines Sanctorum.* Feria autem sexta in Parasceve, postquam crux adoranda detecta fuit, etiam omnes aliæ detegi debent.

A Dominica Passionis inclusivè usque ad Sabbatum sanctum exclusivè non dicitur **PSALMUS** **JUDICA** neque **GLORIA PATRI** ad **LAVABO** vel **INTROITUM**. *Nisi in Missa de festo si occurrerit excipe quoque Missas votivas juxta Rubricas Part. 2. Tit. 3. n. 6.*

Post